



§. III.

*Difficultates ex duobus Senecae atque Sidonii Apollinaris locis
ortae de triginta dierum spatio, senatus consulto damnatis
prorogato, remouentur, reiectisque aliorum sententiis,
Sirmondi coniectura probatur.*

Ex iis igitur, quae haecenus in medium protulimus, veterum scriptorum fide dignissimorum testimoniis, satis certum est atque indubitatum, decem dierum spatium damnatis ad mortem a dicta sententia ad executionem senatus consulto Tiberiano fuisse indultum. Neque vllum scrupulum mouet locus Senecae *de morte Claudii*, ubi Claudius, propter facinorum et multitudinem, et atrocitatem, ab Augusto, nulla *rerum iudicandarum vacatione* concessa, *quamprimum exportari, et caelo INTRA DIES TRIGINTA excedere, Olympo intra diem tertium* iubetur. Quam *rerum iudicandarum vacationem* Petr. Pithoeus *Lib. II. Aduers. subseciu. c. 20.* post varias coniecturas, perperam ad senatus consultum Tiberianum referendam existimauit. Primum enim, cum Claudio relegationis poena sententia Augusti irrogetur, qua ratione Pithoeus vel cogitare potuit de senatus consulto Tiberiano, quo non nisi de vltimi supplicii poena differenda cautum fuit. Deinde vero quem fugit, in sollemni relegationis formula terminum semper definitum fuisse, intra quem relegatus excedere deberet? Et sic illam *rerum iudicandarum vacationem* recte interpretantur
Briffonius